





1. Hafserung s. Joh. Carp. diff. de perfectio  
ni Christiana Antiv. Wittenb. 1739.
2. ————— diff. de Bileam, in iurato  
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. ————— diff. de communione sub  
utragz. Wittenb. 1739.
4. ————— diff. de locis cur Christus  
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. ————— diff. de theologo non tantum  
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. ————— diff. de momento endyponismen  
anima fidelis, Wittenb. 1726.
7. ————— diff. de effectibus afflictio  
num Christi a Paulo supplendi  
ex Coloss. i v. 24. Wittenb. 1720
8. Hayer s. Joh. Georgij s. diff. de proverbiis  
proverbio: pror. Kenta. Dactyliscin  
Act. VIII v. 5. Lipsia 1738.

*929*

DE  
**CHRISTI**  
AMORIS ERGA HOMINES  
IMMENSVRABILITATE

*AD EPHES. III. 18. 19.*

IN  
ACADEMIA GOTTINGENSI

D. XII. SEPT. cccc xxxv.

PUBLICE DISPVTABITVR  
AB HORA IX. VSQVE AD XII.  
PRAESIDE

**CHRISTOPHORO AVGVSTO  
HEVMANNO,**

S. THEOL. D. ET PROF. EXTRAORD.  
HIST. LIT. ORD.

RESPONDENTE

**CHRISTIANO FRIDERICO BOEHMIO,**

HALENSI SAXONE, S. THEOL. CVLT.

---

GOTTINGAE  
LITERIS IO. FRID. HAGERI

CHIROP

ANICRISIA  
LIMESARABII

ICLIPSE



## Σύνοψις.

**D**E misericordia DEI uniuersali testimonium Ioannis & ipsius CHRISTI, I. Locus Paulinus, II. Alloqui hic Paulum eos Ephesos, qui antea fuerant ethnici, docetur III. De amore CHRISTI erga homines per exegesiam h.c loqui Apostolum, obseruatur IV. Quid sit h. l. καταλαβέσθαι τὸ ὑπερβόλλω τῆς γνώσεως, V. τι h. l. quantum significat, VI. Quae Paulus h.l. dicit de longitudine, latitudine, profunditate & altitudine, ea non opus est explicari singillatim & minutam, VII. Suppetunt tamen commoda singularum dimensionum interpretationes, VIII. Veterum quorundam error, crucem CHRISTI describit a Paulo, IX. Eorum falsa interpretatio, qui locum hunc de amore hominum erga CHRISTVM ceperunt, X. Pauli monitum, quo omnes Christiani CHRISTI erga omnes homines amorem credere iubentur, XI. Soloecismus ab hoc loco Paulino defenditur, XII. Meditatio practica, XIII.

magi

A 2

D. G.



## D. G.

### I.

**G**uanto DĒVS flagret amore nostri, cum doce-  
re vellet Ioannes Apostolus, DĒVS, (a) inquiet-  
bat, εἰ διάτη, significans lucidissime, amorem  
ac benignitatem DEO esse essentialiem, qui-  
que Deum colat amore carentem & (b) αφενθρωπον, ab  
eo Deum coli falsissimum. Docuerat hoc ipsum Pater  
CHRISTI, quem doctorem fuisse Apostolorum, a  
CHRISTO discimus Matth. XVI. 17. Docuerat eum  
hoc Spiritus Sanctus, a quo edocet omnia fuisse Aposto-  
los, liquet e Matth. X. 20. Idem eum docuerat CHRI-  
STVS, cum dixerat Iohann. III. 16: Οὐτως (in (c) tantum,  
tam

---

(a) I. Iohann. IV. 16. Lutherus ita reddidit: GOD ist die Lie-  
be. Ad verbum: GOD ist Liebe, id est, lauter Liebe.  
Atque ita est in Versionibus Belgica, Gallica, & Anglicia.

(b) Tit. III. 4. diserte praedicatur DEI φιλαθρωπία.

(c) Id enim τόπος hic significat. Sic etiam I. Iohann. IV. II.  
scriptum

ram vehementer & ardenter,) amavit D E V S mundum, ut filium suum unigenitum, caetera. Non poterat proinde idem non docere Paulus, inter cuius de hoc arguento dicta plura eminer illud, quod suae ad Christianos Ephesios epistola inferuit cap. III. § 8. & 19. ita quippe ibi describens amoris diuini erga humanum genus magnitudinem, vt dicat, eum & caput humanae mentis longissime excedere & plane *ἀπίγειον* esse atque *αὐγεωμένον*.

## II.

Precatur scilicet isto loco C H R I S T I cultoribus, ut valeant cognoscere omni humana cognitione maiorem C H R I S T I erga homines amorem, *immense latum, immense longum, immense profundum, immense excelsum.* *τὸν ἔχοντα (en ipsa Apostoli verba!) καταλαβεῖσαι τὸν πάντας αὐτούς.*

A 3

scriptum legimus: *ὅτιος δὲ οὐδεὶς οὐδεποτέ μᾶς, tanto nos amore prosecutus est D E V S.* Quem in modum & Lysias Orat. IX. p. 123: *τὸν πολλὰ ἔξιος, tanto bonore dignus:* & p. 132: *τὸν τρεῖς αἰώνας, tam turpe crimen.* Aelianus Var. hist. lib. XII. cap. 52: *οὐτωπερφενεν.* Qui & lib. III. cap. 8. ita locutus est, itemque Diogenes Laertius lib. IX. §. 7. & 64. ac lib. X. §. 13. Aliorū in τῷ ἔξει similia loca obseruarunt Eckhardus Obs. ad Platnum Aristophanis p. 12. & Deuarius lib. i de Graecac linguae particulis cap. 21. p. 207 sq. Vnum etiam e Demosthene exemplum protulit Pasor in Lexico N. T. Reete igitur verba Saluatoris Joan. III. 16. hunc in modum reddidit Prudentius in Apotheosi. v. 1027: *Tanquam amor terrae, tanta est dilectio nostri, subaudi in D E O,*

άγιοις, τί τὸ ὄλατος (d) ἡ μῆνος ἡ βάθεια ἡ ὑψος, γνῶναι τε τὴν ὑπερβαλλεῖσαν τῆς γνώσεως ἀγράπην τὸ Χριστόν.

## III.

Affatur hac in epistola vir sanctissimus eos, qui antea superstitionibus dediti fuerant ethnicis, tumque opinio-nibus de religione imbuti ethnicis, tum ethnicis praedi-ti moribus. Etsi enim Ephesi in castra CHRISTI etiam deduxerat nonnullos e Iudeis: id quod Lucas memo-riæ prodidit *Act. XIX. 9. 10;* tamen hic ad illos potissimum verba facit, qui ethnica sacra mutauerant Christianis. Re-cordanini, inquit ad eos *cap. II. 11.* vos antea fuissetis ethnicos, a Iudeis ἄρχοντεσ appellitator. Et *cap. III. 1.* Ego captiuus sum pro vobis ethnicis. Rursus *cap. IV. 17.* Definite ita viuere, ut ceteri viuunt ethnici. Iam cum Iudei adhuc fuissent DEI populus, ceterique populi ἀθεοι, ut loquitur noster *cap. II. 12.* hoc est, ut ipse se interpretatur *i. Thess. IV. 5.* μὴ εἰδοτε τὸν Θεόν, veri DEI et cognitione et cultu carentes; in tribus prioribus huius epistolæ capitibus totus est in praedi-canda DEI erga ethnicos, adeoque non erga Iudeos so-los, sed erga viuensum genus humanum, gratia & bene-volentia. Nunc denique vortum subiungit, ut oculos piis Ephesi's DEVS aperiat, vt, si non peruidere, tamen clari-sime videre possint DEI in CHRISTO vel CHRISTI erga omnes omnia homines amoris ac misericordiae, quam paulo ante *v. 8. 9. 10.* impense laudauerat, magnitu-dinem.

## IV.

(d) AElian Var. hist. lib. III. cap. 11. quendam commemorat montem ὑπερβαλλεῖν, adiectique simul campi describit cum τῷ πόνῳ, tum τῷ πλάντῳ.

## IMMENSVRABILI.

### IV.

De CHRISTI enim amore erga nos (qui & 1. *Ioan.* III. 16. *Ioan.* XV. 12. 13. *XIII.* 34. *Gal.* III. 20. alibique locorum praedicatur,) loqui hic Apostolum, e versu 19. apparet, quo id, quod v. 18. figurate dixerat, simplicius repetit eo loquendi modo, quem rhetores vocant exergasiam: ut adeo *καταλαβέσθαι*, τι τὸ ὡράτος καὶ μῆνος καὶ βαθός καὶ ἔρης, prorsus idem sit, quod γνῶσθαι τὴν ὑπερβολλογεωτῆς γνώσεως αγάπην τὸ Χριστόν, adeoque ex versu 19. subaudiendum sit (e) in versu 18. τὴν αγάπην τὸ Χριστόν. Comprehendere, inquam, quam longe quamque late porrigitur amor CHRISTI, quam profunde descendat is amor, quamque alte ascendas, continuo interpretatur Paulus per cognoscere, amorem CHRISTI erga homines tam esse magnum, nulla ut humana co-

gnis-

(e) Haud obseruans huius ellipsoes Caluinus *Instit. relig. Christi* lib. III. cap. 2. §. 14. existimat, docere hic Paulum, id, quod nostra mens fide complectatur, esse omnibus modis infinitum. Eadem ellipsoes *αβρεφία* Dan. Heinio praebuit easam locum huncce capiendi de corporis Christi aedificio mystico, Ecclesia, *Exercit. sacr. lib. X. cap. 2. p. 461*: quam sententiam etsi & H. B. Starckius suam fecit in *Notis suis ad N. T.* p. 145. sq. non tamen possum facere, quin eam iudicem alienissimam. Obseruavit vero hanc ellipsis etiam Glassius *Philol. S. lib. V. tract. I. cap. 8. p. 1612.* quod scilicet loquatur hic loci Paulus de CHRISTI dilectione: adeoque accuratius interpretatur hunc locum, quam Grotius & Calouius, qui de amore DEI erga nos eum interpretantur latiori sensu.

gnitio ad eius finem vel ambitum peruenire, nemo ut eum plene possit comprehendere. Agnoscimus simul argutiam sermonis Paulini, quo iubentur pii cognoscere rem incognoscibilem: ac recordamur similis dicti Davidici, quo rex ille dicitur. eos (f) ait: *Enarrabo & enumerabo tua, Domine, beneficia, quae sunt inenarrabilia & innumerabilia.*

## V.

Liquet hinc, verbum καταλαβεῖς θα: hic non significare comprehendere, umquam, hoc est, plene & ex toto cognoscere, sed eo dumtaxat indicari tam claram (g) cognitionem certamque, quasi manu aliquid teneas & complectaris & in proximo contempleris. Est enim hic amor, qui cognoscendus proponitur, ὑπερέχων τῆς γνώσεως &c, ut alibi (h) noster loquitur, ὑπερέχων πάντα νῦν, talis, inquam, tantusque, ut nulla mens mente diuina inferior capere possit eius magnitudinem. Nec aliud horum verborum esse sensum, ad liquidum perduxit (i) Ven. Wolfius: ut mihi supersedere liceat haec demonstratione.

## VI.

(f) *Psal. XL. 6.*

(g) Hinc Scepticismus sive incerta de quo quis dogmate opinio vocata fuit αναταραχή. Vid. Diogenes Laërtius lib. IX. §. 6r. Gellius lib. XI. cap. 5. & praecipue Sextus Empiricus Hypoth. Pyrrh. lib. I. cap. 1.

(h) *Phil. IV. 7.*

(i) *Cur. philol. & erit. ad Ephes. III. 19.* Consentit Versio Belgica, itemque Gallica. Ac Lutherus quoque in editione sua Versionis a. 1540. facta sic reddiderat: auch erkennen die Liebe Christi, die doch alle Erkenntniß übertrifft, Cui ver-

## VI.

Caeterum cum cognoscere Christianos Ephesios iubet Apostolus, τι ἡ ωλάλος ἀμορίς Χριστοῦ, haesitare video Ge. (k) Pasorem, (virum Graece doctissimum, cuius Lexicon N. T. per facilem multis reddidit noui foederis tabularum lectionem,) quid hoc γι sibi velit. Ego quidem non dubito, hoc γι significare quantum, wie groß, ποταπόν, quod vocabulum Ioannes de amore DEI loquens usurpat. Epist. III. 1. Nam & Lucae I. 66. τι ἡ ωδίον τέτο ἐστι; est: Quantus vir olim erit puerulus hic! Et Ioan. VIII. 53. haec verba: Τίκα σεωνόρ εὐ ωνές; ita redi debent: Quantus tu vir haberi cupis! Demosthenis quoque similem locum pro-

B du-

versioni eam, quam nunc habemus, (auch erkennen, daß Christum sieb haben viel besser ist, denn alles Wissen,) anno demum 1545. successisse, docet D. Io. Frid. Mayerus in Historia versionis Germanicae Bibliorum pag. 31. qui simul hanc recitat κατάγω Mich. Waltheri: Ego D. Waltherus cum omnibus prope interpretibus versionem priorem posteriorē merito praefero. Quamvis enim posterioris sensus verus sit, non tamen video, quomodo interpretatio consonet fonti Gracco. Conf. Fesselius Aduers. sacr. lib. X. cap. 1. §. 66. p. 476. Interpretit vero in explicatione huius loci magnus ille profanorum scriptorum interpres, Dan. Heinlius, Exerc. sacr. lib. X. cap. 2. p. 462. Qua occasione recordor iudicij a Witfo lati de Heinlianis iisis Exercitationibus. Iudicat scilicet in Melet. Leid. Diff II. §. 5. p. 277. multum in iis inesse subtilitas criticae, soliditatis & perspicuitatis parum.

(k) In Lexico N. T. p. 656.

duxit (1) Budaeus. Nec insolens Latinis est, quis dicere pro quantus. Cicero *Orat. pro lege Manilia* cap. 23: *qua cupiditate, id est, quanta.* Et pro *Milone* cap. 23: *Recordamini, quae fuerit celeritas redditus eius, quae magnitudo animi.* Et cap. 27: *cui viro! pro quanto viro!* Luculentissime vero idem hoc declarat lib. I. epist. 13. ad *Atticum*: *QVAS ego pugnas, inquiens, & QVANTAS frigates edidi!* Cui similis locus occurrit in *Orat. pro Roscio Amerino* cap. 46: *Quid caelati argenti, quid strigulae vestis, quid pictarum tabularum, quid signorum, quid marmoris apud illum putatis esse?* Tantum scilicet, quantum, caetera. Et cap. 9: *Quanta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, vides: quae (id est, quanta) sit omnium mortuum exspectatio, quae cupiditas, ut acris ac severa iudicia fiant, intelligis.*

## VII.

Dispiciamus nunc age, quid sibi velit Paulus, cum contemplari nos iubet, quanta sit & *latitudo* & *longitudo* & *profunditas* & *altitudo* amoris illius, quem in nos exprimit **CHRISTVS**. Mihi quidem vix dubium est, menti id scribentis Pauli obuersatum esse id, quod *Iobi XI. 8. 9.* (m) legimus: *Sapientia DEI excelsior est caelo, profundior inferno, longior terra, lator mari.* Ex quo loco discimus, proverbialem hanc esse dictiōnem, eaque significari immensam & infinitam rei cuiuspiam magnitudinem. Qua in sententia confirmat me auctoritas Ven. Zeltneri, eodem modo haec verba interpretati in *Bibliis suis Germanicis*, quibus brevis-

(l) Comment. ling. Gr. p. 32. & hinc Deuarius lib. de partic.  
Gr. ling. cap. 31. p. 346.

(m) Conf. *Sirac.* I. 3. & *Psal.* CXXXIX. 7. 8. 9.

vissimas quidem illas, sed eruditissimas ac plane acroamaticas, adiunxit annotationes: quanquam ante eum iam Chrysothomum (n) idem iudicasse video, Bezam item & Cameronem, atque e nostris Georgium (o) Calixtum. Non est itaque, quod solliciti sumus de singillatim exponenda *sacra hac Mathematica*, quam vocat Glaphius in *Philologia* (p) sua *sacra*.

## VIII.

Quanquam nec sunt reprehendendi, qui hic intenderunt ingenii sui aciem. Certe *longitudinem amori CHRISTI* aduersus homines tribueris vere, quatenus is sine caret & cum aeternitate adaequatur, *Psal. CXXXVI*; *latitudinem*, quatenus vniuersum terrae orbem complectitur, & homines ad unum omnes vult salutem consequi, *i. Tim. II. 2. Joan. III. 16*; *profunditatem & altitudinem*, quatenus filius DEI de coelo descendit in haec inferiora, *Eph. IV. 9. Psal. VIII. 5*. ut ex inferno redemptos homines euehat in coelum & ad summum felicitatis fastigium, *Joan. XII. 26. XIV. 3*. Paulo alia, sed aequa pia est meditatio AEgidii Hunnii, ad hunc locum ita (q) scribentis: *Misericordiae Dei per Christum*

B 2

sum

(n) *Homil. VII. in cap. III. Epist. ad Eph. p. 91c.*

(o) In *Expos. lit. h. l.* (p) Loco iam supra laudato p. 1612.

(q) *Comment. in Epist. ad Ephes. p. 239.* vbi & cum dicto hoc

Pauli comparari iubet *Psal. XXXVI. 6. LVII. 11. CIII. 11.*

*12. & CVIII. 5.* Conf. Ven. Boerner Dispe. *de precibus Christi* §. 45. & 46. vbi & ipse exhibit similem de hoc loco meditationem. Breuter ad h. l. Grotius: *Dei bonitas & latissime se diffundit in omnes homines, & in longum, id est, in omnia saecula, se extendit, & ex infinita depressione hominem liberat, & in suprema loca euehit.*

sum exhibita latitudo nullis unquam terminis se claudi patitur: longitudo eius se porrigit a solis ortu usque ad occasum: profunditas illius ad contemptissima quaque e coeno miseriae attollenda se demittit: denique altitudo eius omnium hominum & angelorum intelligentiam transcendet. Rostochiensis theologus, Henr. Mullerus, sic ad hunc locum (r) disserit: Hier redet Paulus als ein Meißer in der Mess-Kunst, und lehret uns die Liebe Christi abmessen nach der Länge und Breite, nach der Tiefe und Höhe. Fragestu nach der Breite, so erstrecket sich diese Liebe über alle Menschen. Suchestu die Länge, so hat sie kein Ende. Wollestu die Tiefe ergründen, so möchtestu fahren in den Abgrund, der GOD selber ist. Fragestu nach der Höhe, sie übersteigt alle Himmel. Auf was Weise du sie betrachtest, so ist sie unabmeßlich. Tertius accedit Petrus Molinaeus, hinc in modum de loco hoc (s) disputans: Lasset uns Achtung geben auf die Breite, auf die Länge, auf die Tiefe, und auf die Höhe der Liebe Christi. Die Breite, welche beyden Juden und Heyden umfasset, nachdem er den Baum, der dazwischen war, hat weggenommen, auf daß wir erkennen unter allen Heyden sein Heil. Die Länge, die uns, ehe der Welt Grund gelegen worden, hat erweckt, und von Ewigkeit zu Ewigkeit wird mit ihm leben und herrschen lassen. Die Tiefe, die uns errettet hat aus dem Nachen des Todes, indem er sich selber so tief erniedrigt hat, uns daraus zu erlösen. Die Höhe, die uns durch seine Auflahrt gen Himmel der Herrlichkeit theilhaftig macht, da er uns sammt ihm auferwecket, und in das himmlische Wesen versetzt hat.

## IX.

(r) Himmels-Liebes-Kuß P. I. cap. 1. p. 6.

(s) Seelen-Friede lib. I. cap. 8. p. 51.

## IX.

Minime vero probanda est eorum sententia, qui Paulum rati sunt hic loci crucem C HRISTI contemplari: quanquam peruetus est haec opinio. Iam Augustinus in libro secundo de doctrina (t) Christiana hisce Pauli verbis describi iudicauit crucem Domini: cuius (his verbis suam exponit mentem,) latitudo dicitur in transuerso ligne, quo extenduntur manus; longitudo a terra usque ad ipsam latitudinem, quo a manibus & infra totum corpus affigitur; altitudo a latitudine sursum usque ad summum, cui adhaeret caput; profundum vero, quod terrae infixum absconditur. Quo signo crucis omnis actio Christiana describitur. Tantum ducem cum Alcuino suo fecetus Carolus M. in secundo libro de cultu imaginum (u) haec de suo adiicit: Ex hoc ligne crucis omnis vita Sanctorum describitur, qui tollentes crucem suam Christum sequuntur, & cum hilaritate bonis operibus inserviant. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transuerso ligne. Per altitudinem crucis significatur expectatio sempiternae retributionis. Per longitudinem, qua totum corpus extenditur, tolerantia significatur, ut longanimes permaneamus. Profundo autem, hoc est, parte illa ligni, quae in terrae abdito defixa aacet, indicantur inscrutabili iudicia Dei. Sed iam ante idem, quod Augustinus, Rufinus docuerat: quibus cum

B 3

Lipfius

(t) Cap. XLI. Effugit hic locus oculos Danielis Whitbyi, librum suum componentis de S. Scripturae interpretatione secundum Patrum Commentarios, alias haud dubie, qua est in Patrum minus felices interpretationes vehementia, suo sale perfricturi Hippomensem episcopum, cui nec aliis oblatis occasionibus pepercit.

(u) Cap. 28. p. 245. sq.

Lipsius (x) suum adiecit calculum, vel hoc exemplo, non semper se fuisse Criticum, fecit manifestum. Addo, Hieronymum (y) quoque longas exhibuisse interpretationis de cruce Christi ambages: cuius locum excrere me vetat spatii huius angustia.

## X.

Nec minus longe aberrasse censendi sunt, qui verba haec Pauli cepere non de amore CHRISTI erga homines, sed de amore hominum erga DEVVM, ac deinceps pias quidem, sed ab hoc loco alienissimas de Christianorum erga DEVVM amore protulerunt meditationes. Audiamus ex his Remigium a Villalpando (z) editum, ita (a) commen-

tan-

(x) *Lib. I. de cruce cap. 10.*

(y) *Comment. in Epist. ad Ephes. in Tomo nono Operum.*

(z) Prima editio Romae facta est a. 1598. altera, cuius paginam hic nomino, Meguntiae a. 1614. Errasse vero Villalpandum, cum opus hoc inscrispit Remigio, Rhemensi saeculi sexti episcopo, eiusque auctorem esse alium Remigium, monachum noni saeculi Antissiodorensem, vel Haymonem, statuant Critici. Et Haymoni quidem id auctori tribuit Rivetus *Critici sacri lib. IV. cap. 27.* Calixtus lib. *de extremo iudicio p. 27.* & Caeus *Hist. lit. script. eccl. p. 291.* § 474: Antissiodorensi monacho Platina in *Vita Formosij f. 147.* Albertinus *lib. II. de Eucharistia p. 886. sqq.* Dallaeus *lib. V. de s. cult. Lat. relig. cap. 10. p. 639.* Pagius *Crit. Baron. ad a. 471.* 13. Oudinus autem *de script. eccl. T. I. p. 1290.* & *T. II. p. 330.* haeret, vtrum Antissiodorensis an Haymonis habendi sint hi in Paulinas Epistolas commentarii, Conf. Placcius *Pseudodon. n. 2200.*

tantem ad hunc locum: *Latitudo caritatis est, qua diligitur Deus, & non solum amicus, sed etiam inimicus. Longitudo caritatis est perseverantia in bonis operibus, longanimitas etiam ab initio fidei usque ad finem spet. Altitudo caritatis est, ut sublimitatem patriae coelestis quaeramus. Profundum caritatis est, ut omnia bona, quae habemus, de occulto Dei dono & inspiratione nobis venire credamus. Haec omnia (ita concludit,) in cruce Christi possunt comprehendi.* Eadem est Lyrani interpretatio, itemque Glossae interlinearis. At Glossator ordinarius vidit acutius, capiens hunc locum de CHRISTI erga nos caritate. Roëllum vero, amorem nostrum erga CHRISTVM hic describi, docere in posteriore fui ad hanc Epistolam Commentarii (b) Tomo, magis mirarer, si hic Tomus non esset foetus posthumus: quo quippe longo intervallo melior est Tomus prior, ab ipso auctore luci publicae expositus post elaborationem accuratissimam.

## XI.

Minime omittendum est, quod Paulus adiicit, considerationem agnitionemque immensurabilitatis amoris CHRISTI erga nos communem esse oportere Christianorum omnium. *Cognoscere id debetis, inquit, οὐν τὰς τοις αὐτοῖς.* Certe Iudei asserebant gratiae diuinae erga homines particularitatem. Horum igitur quam grauis sit

er-

(a) Pag. 341.

(b) p. 188, sq. Non multum differt Cl. Schoetgenii sententia, significari h. l. arbitrati in *Horis suis Hebraicis* redam mensuram nostrarum actionum, ut nec in excessu nec in defectu peccemus.

error, ut appareat clarissime, Paulus hic docet, *sanc̄tos om̄es* persuasum habere, D E V M nullius non misereri, ac ne vnius quidem velle interitum, adeoque gratiam ipsius erga homines nullis esse limitibus circumscriptam. *Sanc̄tos* autem nominat omnes Christianos, eosque in tota hac epistola (c) sic appellat. Quod velim ii perpendant etiam atque etiam, qui ratiunculis quibusdam plus tribuentes, quam clarissimi D E I vocibus, cum Augustino (d) credunt ac docent, *falsum esse, quod nullus hominum sit, quem saluum fieri Deus nolit.*

## XII.

Ante, quam meditationem nostram de perillustri hoc Pauli loco finiamus, tollendum videtur crimen soloecismi; quem initio eius obseruasse sibi nonnulli visi sunt, non intelligentes, quo referri ex lege grammatica queant verba haec ἐγγίωνεις ναὶ ιδειωνεῖν. Sed salua res est. Coniungi verba Pauli ita oportet: *ναὶ ἐγγίωνεις (e) καὶ τ. ἐξαγόντεις.*

Quam

(c) Cap. I. 1. 15. 18; III. 8; IV. 12.

(d) Enchir. ad Laur. cap. 103. Obseruatu dignum, magno animo istam Augustini sententiam refelli a Dallaeo in *Vindictis Apologiae suae pro duabus Synodis P. I. cap. 6.*

(e) Posset cuiquam in mentem venire, scriptum fuisse a Paulo ἐγγίωνεις καὶ τεθεμελιωνεῖν casu quarto, ad Christum, de quo anie verba fiunt, referendo. Verum vanitatem huius coniecturae facile est agnoscere, si intuearis, quae scriptit noster Apostolus Coloss. I. 23. &amp; II. 7. quippe vbi similiter ἐγγίωνεις dicuntur ac τεθεμελιωνεῖν Christiani: quam Pauli φράσιν omnino illustrat locus quidam Luciani a Lamb. Bosio prolatus Exercit. ad N. T. p. 183.

Quam facilis enim est, quam (f) visitata, haec particulae  
trajectio! Atque ita exponitur locus hic in Versionibus  
Gallicis, tum vetere, tum Montensi, tum denique Beroli-  
neasi. Nec aliter sentiunt eximii interpres, Beza, Gro-  
tius, (g) Calixtus, (h) Zeltnerus, Ioach. (i) Langius, (k)  
Wolfius, Io. Conr. (l) Schwarzius: ut adeo haud sit opus  
interpretatione Lamb. Bosii (m) elliptica.

## XIII.

Conuertamus, quaeso, quae hactenus ex Paulo didi-  
cimus, in usum nostrum, ac primum agnoscamus, cum DEI  
amor in nos nullius mensurae sit capax, nos vicissim DEVUM  
colere debere amore immensurabili. Quam stolido vulgo  
nos gerimus, perexiguo amore flagrantibus summi boni,  
contra immensurabili amore complectentes bona leuissi-  
ma! Pudeat nos huius erroris ac poeniteat. Qui nos &  
in hac vita maximis iisdemque innumeris afficit beneficiis,  
& post hanc vitam interminabili eademque summa beabit  
felicitate, eum amemus supra omnia, ab eiusque amore nec  
blanditiis ullis nec minis diuelli nos patiamur. Cumque

C CHRI-

(f) E.g. 2. Cor. II. 4: ἀλλα τὴν αὐτόπτην ἵνα γνῶτε. Quae vo-  
culae ἵνα postpositio etiam facta est Ioan. XIII, 29; 1. Co-  
rinth. IX. 15; Gal. II. 10.

(g) In Expos. liter. ad h. I.

(h) In annotatione Bibliorum Versioni Lutheranae subnexa  
ad Ephef. III. 19.

(i) Im Apostolischen Licht und Recht ad h. I.

(k) Cor. philol. & crit. ad h. I.

(l) In libro de solvētis N. T. opinatis p. 121.

(m) Lib. de ellipsis Graecis p. 147.

18 DE AMORE CHRISTI IMMENSURABILI.

CHRISTVS ea re maximum suum erga nos amorem demonstrarit, quod pro nobis mortem subiit acerbissimam, nec nobis, si res ita ferat, pro CHRISTO proque fratribus eius mori iniucundum sit. Et quemadmodum Petrus quaerenti ex se CHRISTO: *An me amas?* respondere poterat: *Scis Domine, te amari a me;* sic & nos id agamus, ut citra trepidationem conscientiae possimus dicere: *Amo te,* CHRISTE, toto pectore, & amorem tui nullus vñquam amor vincet alius. Deinde & illud mature discamus, a nobis tum, cum vitae finis instat, considerationi magnitudinis & multititudinis peccatorum nostrorum opponendam esse considerationem infinitae magnitudinis misericordiae DEI in CHRISTO IESV. <sup>Η Χάρις (n) μετὰ πάντων ἀγαπώντων τὸν Κύριον ἡμῶν, Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐν αὐθεντίᾳ.</sup> Αμήν.

(n) Epb. VI. 24.

APPENDIX.

I.

Inter loca sacri codicis Apostolici, quae perdifficilem plurimi videntur habere explicationem, cum reuera sint minus ~~ducentia~~, refero verba Matthaei, quibus cap. II. 23. docet, a prophetis fuisse praedictum, CHRISTVM vocatum iri Nazareum. Recitat videlicet Matthaeus verba illa, quae de Simione scripta legimus *Judic. XIII. 5:*

נָזֵר אֱלֹהִים יְהוָה  
a vetero Latino interprete sic reddita: *Erit Nazararus Dei,* a Graeco ita: *Ναζίρ Θεός ἦσαν.* Matthaeus cum ita reddit: *Ναζετόνος κληθήσεται,* haud aliud dicit. Pro *ἦσαν* enim dicere *κληθήσεται*.

## APPENDIX.

19

Dñs erat, per uulgati moris est sacris scriptoribus. Exempla pere  
fis e Glassis Philol. S. lib. III. tract. III. can. 16. p. 790. & lib. V. tract.  
III. Obs. 18. p. 1383. sq. Omnim luculentissimum exemplum ex-  
hibet Lucas: qui, quod in Hebreo est Iesu. LVI. 7: *Domus mea domus*  
*precationis nři*, *vocabitur*, (apud Graecum interpretem est  
*καὶ ἡ οἰκία τοῦ Ιησοῦ*), his verbis cap. XIX. 46. repetit: 'Ο ἡμῶν μὲν ὁ θεός  
προστέλλεται, aut, vt nonnulli codices habent, εἴσαι. Graecos quoq;  
profanos isto vti loquendi genere, Graeuius docet in Lectionibus  
suis Hesiodeis cap. IV. p. 22. Iam verba illa, quae in libro Iudicum de  
Simsonem prolatæ sunt, typica significatione CHRISTO conueni-  
re, διατύπωσις iudicauit Matthæus, & quidem eodem modo, quo  
hoc ipso in capite v. 15. ad CHRISTVM applicauit vocem illam  
DEI ab Hosea literis mandatam: *Ex Aegypto euocauisti filium meum*.  
Simsonem vero tanquam Nasiræum fuisse typum CHRISTI,  
etiam Seb. Schnidius agnoscit Comment. in librum Iudicum p.  
1140. Ac sane in ipso illo libri Iudicum versu occurrit verbum  
יְשַׁׁרֵּעַ, saluare, vnde nomen IESVS. Cum vero addit Matthæus,  
et prophetis id fuisse praedictum, significare videtur, librum illum  
de iudicibus populi Israëlitici conscriptum fuisse a pluribus proph-  
etis, quorum quisque res gestas suæ aetatis memoriae posterorum  
prodiderit. Quod si forte persuasum habes, libri Iudicum unum  
duntaxat fuisse scriptorem, responderi potest, saepe fieri, vt, cum  
sermo est indefinitus, pluralis ponatur pro singulari: id quod fit  
Marci I. 2. Ioan. VI. 45. & Act. XIII. 40. vbi scriptum esse dicitur  
in prophetis, quod ab uno prophetarum scriptum fuisse, obser-  
vat Glassius lib. III. Philol. S. tract. I. can. 27. p. 625.

Hanc meam de Matth. II. 23. sententiam gaudeo firmari  
auctoritate Glassii, cuius verba lib. II. tract. II. sect. IV. artic. V. p.  
459. & 460. ita profluunt: Simsonem in rebus gestis suis typum fuisse  
Christi, insinuari videntur Matth. II. 23. vbi, quæ de Simsonে dicun-  
tur Iudic. XIII. 5, ad Christum, eius ætatevno, videntur accommoda-  
ri. Sic populum Israëliticum ex Aegypto egressum gestisse typum Chri-

st

*ſit, inſinuatur Matth. II. 15. vbi id, quod de populo Iſraelitico literaliter dicitur & intelligendum eſt. Hoseae XI. 1. ad Chriftum typice accommodatur, & in Christo ut antitypo impletum fruſſe, adſtrutur. Quam Glafii interpretationem, ad omnem dubitationem excutiendam apificiam, ne commemoratam quidem eſt a G. Oleario in Obj. IV. ad Euangelium Matthei, vbi diuersas de hoc loco ſententias recitat & expendit, permirum est: idemque accidisse video celeberrima N. T. interpreti, Ven. Wolſio, in Curis philol. & erit, ad h. I. ibidem illam non vidi.*

*Alium locum, qui obſcuriſſimus habetur, cum mediocris attentione facere eum queat clariffimum, exhibet prior Pauli ad Timotheum epifola cap. V. 17. vbi iubet Apofolus τὴς πρεσβύτερος col. duplii honoris, eos maxime, qui docendi munere funguntur. De duobus presbyterorum generibus magna hinc mata diſputatio eſt Grotio lib. de imperio summ. por. circa ſacra cap. XI. §. 16. p. 324. 326. fgg. Blondelli lib. de iure plebis in regim. eccl. p. 79. fgg. Salmatio de foen. trapez. p. 407. fgg. Claudio Espencaeo Comment. ad h. I. Stephano le Moyn Var. ſacr. T. II. p. 35. fgg. Zieglero annot. ad Lancelotti Inſtit. Iur. canon. lib. I. tit. XXI. §. 5. p. 177. Calouio Bibl. illuſtr. ad h. I. Dodwello Difſert. Cyprian. VI. §. 1. --6. Bochmero Difſ. VI. Iuris eccl. ad Pliniūm & Tertullianūm §. 41. & 42. Vitrinæ lib. II. de synagoga vetere cap. II. & III. Suicero Thes. eccl. T. II. p. 827. aliisque.*

Facilis vero eſt, huius modi ſolutio, modo ne cum veteri interprete (*vulgarum appellantur*), Graecum πρεσβύτερος reddas presbyteri, nominarique hic putes Presbyteros a Diaconi diuersos. Scilicet alius eſt stylus ecclesiasticus, alius Biblicalis. Πρεσβύτεροι hi Paulini ſunt stylo Iudaico ſeniores Ecclesiae, hoc eſt, viri publico in Ecclesia fungentes munere. Horum ſeniorum duo erant genera, alterique ναῦται ἐξοχῆν Presbyteri vel Epifcopi (tum enim temporis duo haec vocabula, cum de doctoribus vſurpabantur, ide signiſcabant,) vocati ſunt, alteri Diaconi. Cum igitur Paulus h. I. ait, ſeniores ναῦται πρεσβύτερος duplii affici oportere honore, maxime eos, qui docendi munus obuant; loquitur de Epifcopis & Diaconis, quorum vtrorumq; officia ſuprac. III. expoſuerat. Vtrique enim praeerant Ecclesiae, Epifcopi docendo potiſſimum, Diaconi curam gerendo honorum ecclesiasticorum & pauperum: ita tamen, ut auctoritas Epifcoporum ſive Doctorum eminaret. Vtrosque etiam coniungit hoſter Apofolus Phil. I. 1., epiftolam hanc inſcribens Epifcopis & Diaconis Philippienſis ecclieſiae. Coniungit item vtrosque Rom. XII. 7. hisce verbis: "Eritis diaconi, in τῇ diaconia. Eritis ē diaconi, ēn τῇ diaconia."





00 A 6333

E0-3k  
JUN. 01

Zha

III

D



50 29

DE  
CHRISTI  
AMORIS ERGA HOMINES  
IMMENSVRABILITATE  
*AD EPHES. III. 18. 19.*  
IN  
ACADEMIA GOTTINGENSI  
D. XII. SEPT. CLXXXV.  
PVBICE DISPV TABITVR  
AB HORA IX. VSQVE AD XII.  
PRAESIDE  
CHRISTOPHORO AVGVSTO  
HEVMANNO,  
S. THEOL. D. ET PROF. EXTRAORD.  
HIST. LIT. ORD.  
RESPONDENTE  
CHRISTIANO FRIDERICO BOEHMIO,  
HALENSI SAXONE, S. THEOL. CVLT.

G OT T I N G A E  
LITERIS IO. FRID. HAGERI